



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Sacrarvm Antiqvitatvm Monvmenta**

**Hillesheim, Ludwig**

**Antverpiæ, 1577**

Nehemias.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68887](#)



*Quis scelerum furiis populos & regna perire  
Ambigat? & sontes noxia fata sequi?*

*Cernitis*

Cernitis Isacidum captas cum gentibus urbes,  
 Imperij totum deficientis opus.  
 Nam meriti sors illa fuit, data regna manebant,  
 Dum sanctæ pietas religionis erat.  
 Aucta peregrino scelerum vesania luxu est,  
 A supera meritus sequit arce furor.  
 Sacrorum regnique decus Babylonius hostis  
 Abstulit, & prædæ gens miseranda fuit.  
 Vrbs Solymum flamma, & sauis populata ruinis  
 Imperij facies fæda ruentis erat.  
 Illa mihi, commune malum licet omnibus esset,  
 Maior inexhausti caussa doloris erat.  
 Orabam cælo veniam, finemque malorum,  
 Atque aderant lacrymis publica vota meis.  
 Audiit illa Deus, regemque ex hoste benignum  
 Reddidit, ut captis mitior ille foret.  
 Illius imperio Solymorum mœnia rursum  
 Condimus, & cinctum milite feruet opus.  
 Desuper illabens cælo nos gratia firmat,  
 Hostiles contra nil valuere minæ.  
 Mœnia iam stabant, leges induximus urbi,  
 Et prisca ritus, sanctaque iussa Dei.  
 Sic iterum firmata nouo respublica cultu  
 Floruit, atque Dea vindice tuta fuit.  
 Exoriare aliquis qui iura regentia terras  
 Nunc iterum iusta vindicet unus ope;  
 Ut decus antiquum laudato surgat ab æuo:  
 Sic mæsti facies lætior orbis erit.

Exdrz 2, &  
sequent.

E S I O B.